Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 563

Quelle:
Copyright:

Graculus *Ruah.* Ciconia *Storah.* Veſpertilio *Fledarmus.* Merops *Speht.* Tum e *Prudentio:* Seria *Ernoſthaftiu.* Strophium *Houpitpant.* Pedicae *Strichin.* Mulctrum *Milibchar.* Congeries *Uberquellan.* Invius *Aniuertigi.* Surculus *Sintulingi.* Cunulae *Nabule.* Aurium meatus *Loſunga.* Carioſa *Wrmatiga.* Urgebat *Francta.* Forum *Marcat.* Bipennis *Zwifidrigi ſuert.* Eviſcerando *Zufleiſconto.* Obſtinatio *Einſtritigi.* Fiſcella *Churipi.* Lucrum *Scazz.* Struma *Chelba.* Mucus *Roz.* Truces *Crimnun.* Peſſulus *Sloz.* Ninguidus *Sineuin.* Eluvies *Uburfluzio.* Crypta *Giruft.* Subterranea *Erthus.* Umbones *Ranthogun.* Haec usque ad *fol.* 49. et *Paſſionem S. Cypriani.*

CCXCVI.

R. 3167 Codex membraneus lat. Sec. XII—XIV. Folior. 223. f. max. per duas columnas magnifice exaratus, minio diſtinctus, literis initiorum uncialibus artificioſo ductuum plexu viſendis, et olim Monaſterii *Novimontani*, vulgo *Neubergen*, O. Ciſt. ab *Ottone Hilari Auſtr.* et *Styriae* Duce a. 1327. in harum Provinciarum confinio ſuper *Murczam* fl. deducta a Monaſterio *S. Crucis in Valle Nemoroſa* colonia fundati, ut infra liquebit, complectitur ſequentia: I. praetenſo folio deciduo e L. II. Paralip. *Incipit Praefatio Sancti Jeronimi Presbiteri In libro Prouerbiorum.* Videlicet illa ad *Chromatium* et *Heliodorum: Jungat epiſtola* &c. Hanc excipiunt illae duae aliae, prout in Bibliis Gloſſatis: *Tribus nominibus* &c. et: *Tres Libros Salomonis* &c. inter quas interceptus eſt Articulus *Gloſſae* ordinariae de nominibus *Parabolarum*, prout in iisdem Bibliis. Tum Textus III. Libellorum *Salomonis*, item *Sapientiae* et *Eccleſiaſtici*, quae duo poſtrema Prologos praeferunt, ut in Bibliis jam citatis. Textus more noſtro *Capitibus* diſtinctus eſt, et ad calcem *Orationem Salemonis Regis* habet depromtam e III. *Reg.* c. 8. et *Paralip.* II. c. 6. ſed non κατα λεξιν. Hactenus porro Biblica, manusque Sec. XII.

II. *fol.* 50. ſequuntur Hiſtorica, Videlicet *Chronicon* ab O. C. usque ad A. MCCCXCVI. ita tamen, ut manus Sec. XIII. pertingat ad A. MCCXXII. manus vero Sec. XIV. ab A. MCCXLI. pertexat reliqua, et folium *unum* inter utramque manum exciderit. Initium eſt ejusmodi: *Adam primus homo ad imaginem dei formatus eſt in ebron. in paradiſo cum eua ſeptem horis commoratus ob mandati transgreſſionem huius mundi exilium ſubiit. — In ieruſalem obiit in loco caluarie ſepultus. — Erat autem adam XXX. cubitorum altitudinis. Mortuo autem eo apparuit angelus domini ferens oſtrum eiusdem longitudinis. expanditque illud ſuper eum atque nucleum uetiti ligni ori ejus impoſuit* &c. Poſtquam dein nugivendulus hic et vineam *Noae*, et oblationem *Iſaaci*, atque *Jephtae*, et *Manuae* ſacrificium, et caedem Sacerdotum ſub *Jezabele*, et *Abelis* ſacrificium,